Hispalen. Canonicatus super Articulo prætensæ Concessionis nouæ gratiæ ex integro.

Reu. Pater. POstquam diù in Partibus agitatum fuit iudicium coram Executore inter Illustrissimum Capitulum Hispalen., & D. Aduersarium super executione litterarum ab ipso pluribus subreptionibus extortarum, & postquam in gradu appellationis deputata fuit per Sanctissimum hæc Illustrissima Congregatio D. Aduersarius in se reuersus agnouit serotina cognitione quantis nullitatibus, & vitijs eius prouisio esset infecta ideoque dura necessitate cogente recursum habuit ad Datariam Apostolicam porrigendo de tempore in tempus tres distinctas supplicationes, alteram pro sanatoria perinde valere ob non factam expressionem in litteris, quod possideret duas Cappellanias, secundam super noua sanatoria ob non expressionem, quod possidebat tres Cappellanias, & ob falsam expressionem, quod esset de nobili genere procreatus, & tertiam denique super noua prouisione ex integro ob non factam expressionem, quod possidebat duas Cappellanias sub eodem tecto, & tertiam auctoritate Ordinaria sibi collatam, omnesque retinebat contra formam Decretorum Sac. Concilij Tridentini petendo insimul nouam prouisionem Cappellaniarum cum condonatione fructuum perceptorum vna cum noua prouisione Canonicatus ex integro vt in *Summ.addition.n.3.4., & 6.*

Cumque adesset pendentia litis in hac Illustrissima Congregatione inter Capitulum, & Aduersarium Eminentissimus Prodatarius recusauit admittere supplicationes, & instantiam remisit pro voto ad eamdem Congregationem, in qua attentis solidissimis exceptionibus de quibus infra resoluendum omninò speratur nullam ex supplicationibus esse signandam, sed omnes lacerandas.

Præmisso enim quod Illustrissimum Capitulum etiam contra huiusmodi instantiam est legitimus contradictor, dum sicut talis probatus extitit ad effectum de negandi executionem Prouisioni iam obtentæ, vt *in altero Restrictu* ita etiam eisdem rationibus est legitimus contradictor cuicumque nouæ gratiæ in fauorem Aduersarij, ne scilicet admittatur ad Ecclesiam, qui non habet qualitates requisitas ex statuto fundamentali, minusque illas requisitas per Summum Pontificem intuitu, & ad preces Capituli, & expressas in Breui in gratiam, & fauorem ipsius Capituli vt in *Summ. principali num.6.*, & demum Eminentissimus Prodatarius pro legitimo Contradictore recognouit Capitulum, ad cuius oppositio-

nem, & instantiam facta fuit remissio pro voto ad Congregationem *Summ.addition.num.5., & 7.*, ita, & taliter, quod legitima contradictio Capituli recognita quoad gratiam assecutam multo magis procedat quoad assequendam, iuxta regulam de qua *Roman. cons.215.num.4., & 5., Barbos. axiom.93.num.30., Card. de Luc.de credit.disc.89.num.14., & de Feud.disc.110.num.15., & 16., Rot.in rec.decis.501.n.1., & 2.part.19.tom.2.*

Dicimus examinatis, & introspectis omnibus principijs tum generalibus prorectâ prouisione Canonicatuum tum specialibus, quæ militant in subiecto casu, & quoad nostram Ecclesiam ex omni parte reijciendum esse Aduersarium ab instantijs, & supplicationibus suis, licet enim agatur de materia gratiæ, quando tamen Summus Pontifex, eiusue Eminentissimus Prodatarius eam facere recusauit abstinendo ab amplissima potestate, qua pollet in beneficialibus, iuxta quam æquat quadrata rotundis, & nemini iniuriam facit vtendo Iure suo iuxta *Text.in cap.proposuit de præbend.*, & late *Gonzal.ad regul.8., Cancell.§.1.prohemial.ex num.32.ad plures seqq.*, sed instantiam pro voto remisit ad Iudicem, dicitur voluisse gratiam esse examinandam in toto rigore Sacrorum Canonum, eiusque Iustitiæ, quæ etiam in gratijs concedendis locum obtinet, non autem esse procedendum spectata potestate Papæ in Beneficialibus, vt in indiuiduo ponderauit *Rot. in Romana, seu Ianuen.legati 5.Maij 1698.§.Sed omisso coram Eminentissimo Tremoille,* ibi = *Causamque Rotæ delegauit cum facultate iudicandi &c. ex qua rescribendi forma manifestè patet noluisse gratiam conferre &c., si enim illam suprema voluntate impartiri voluisset, cur nostro Auditorio Causæ cognitionem delegasset, nouerat enim arbitrium regulis iuris moderatum Iudicibus dumtaxat, & Magistratibus reliquum esse non autem Principi, qui supra legem positus est &c. cum ergo Pontifex seposita quodadmodo potestate sua ad hoc suum supremum Tribunal supplicantium petitionem benigne remiserit dicendum est noluisse vti sua plenaria potestate, sed à nobis exquisiuisse an deceat æquumque sit in hypothesi de qua agitur ipsum petitæ gratiæ annuere.*

Habendo igitur præ oculis mensuram Iustitiæ ad distributionem gratiæ credimus ponendam esse ad partes vtramque supplicationem, quæ rescipit primam, & secundam sanatoriam; Perinde valere, nam prima est subreptitia, & nihil valet, dum in illa expressi non fuerunt omnes defectus, dum exposita fuit retentio duarum, & non trium Cappellaniarum vltra falsam expressionem nobilitatis; Secunda etiam est subreptitia, & nulla ob non factam expressionem, quod duæ Cappellaniæ erant sub eodem tecto, & quod tertia fuerat collata auctoritate Ordinaria, contra formam, & decreta Concilij, quodque indebitè absque vlla dispensatione Apostolica omnes retinuerat cum perceptione fructuum: Supplicationes enim subreptitiæ, & nullæ non sunt exaudiendæ, neque signandæ cum

sanatoriæ, vt subsistant continere debeant fidelem expressionem omnium, & quorumcumque defectuum *ex notissimis*, eoque minus signari possunt, quando malum, quo laborat gratia principalis non est sanabile per fulcimentum accessorium, vt est gratia perinde valere, sed adest nullitas in radice, & in totum ob subreptionem commissam in occultanda retentione trium beneficiorum, seu Cappellaniarum, & ab alios defectus *ex probatis in altero Restrictu*, in quibus terminis pereunte tota substantia gratiæ nihil adesse dicitur, quod reualidari possit per fulcimentum accessorium, & necessaria est noua prouisio ex integro, & noua gratia, vt etiam in praxi testantur *Amayden. de styl. Datar. lib. 1. cap. 7. num. 55., & 56.*, *Rosa de execut. litter. part. 1. cap. 6. num. 332.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 54. num. 53.*, *Rebuff. in prax. titul. de rescript.*; *Perinde valere num. 3.*, *Tondut. quæst. benef. part. 2. cap. 4. §. 4. num. 2., & 3.*, *Corrad. in prax. dispens. lib. 8. cap. 5. num. 40.*, *Gomes. in regul. de non iudican. iuxta form. supplic. quæst. 7. num. 4.*, *Rot. decis. 123., & decis. 379. vtrobique num. 4. part. 1.*, *& decis. 266. num. 3. part. 3. recent.*, *& coram Merlin. decis. 516. num. 3.*, *& decis. 788. num. 5.*, *& coram Dunoz. iun. decis. 349. num. 11.*

Punctus igitur consistit in noua prouisione ex integro veluti illa, quam solam sibi sufficientem recognouit, & petit Aduersarius: In hac autem instantia, cum ipse dicatur esse in fieri, nullum ius habeat, & solum venire possit in figura Concurrentis, & Supplicantis pro Canonicatu obtinendo tamquam de vacanti, vt prius, est sine dubio arcendus, quia primò destitutus reperitur, ac denudatus omnibus requisitis, quæ concurrere debent in promouendo ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, & signanter nostræ; Secundo quia habet impedimentum super quo pluribus indiget exorbitantibus dispensationibus, & tertio demum ob præiudicium Capituli, ob ius quæsitum in lite hactenus agitata, eiusque dissensum ex causa rationabili fundatum.

Discurrendo separatim de his tribus grauissimis obstaculis, quantum *ad primum*, ad effectum dignoscendi, an Aduersarius mereantur gratiam, & habeat qualitates requisitas, iudicium huius Illustrissimæ Congregationis ex alio fonte desumendum, & regulandum non est, nisi ab illo, qui deriuat ex Oraculo Summi Pontificis iam pandito in suo Breui directo ad Capitulum, in quo aperuit voluntatem suam, quomodo, & in quibus personis facienda sit prouisio huius, & aliorum Canonicatuum Ecclesiæ Hispalensis, & quidem ad faciendam rem gratam Capitulo per viam siuè rationabilis priuilegij, siuè quodammodo pontificiæ ex promissionis; Etenim ad præuentiuas Capituli preces declarauit eligere velle, & vti tales elegisse personas virtute, & natalibus conspicuas ibi = *Curauimus iacturam vestram ijs, quibus fas fuit, medijs statim sarcire ac proindè ad obeunda istius Ecclesiæ munera quæ vacabant illos ex concur-*

 ren-

rentibus delegimus quos amplioribus Testimonijs, ac præstantioribus prærogatiuis virtutum necnon originis præ cæteris communitos esse existimauimus non sine peculiari quodam intuitu ad preces, quas nobis desuper attulistis, vt singulare paternæ nostræ charitatis argumentum hac occasione vobis tribueremus.

Ista ergo lex, ista voluntas Pontificia, quæ regulauit prouisionem iam factam in persona Aduersarij, regulare debet etiam de nouo faciendam, quæ est renouatio primæ, & subiacet legibus primæ, seu eidem firmæ voluntati, & declarationi Summi Pontificis, quæ semel data semper durare præsumitur, nisi fuerit expresse reuocata, & multo magis quando ea semel data continet gratiam, & fauorem tertij, seù Capituli per modum priuilegij, seù quasi ex promissionis à qua nunquam præsumitur neque præsumenda, aut admittenda est variatio, quia Supremo Principi, & Papæ conuenit illud = *semel loquutus est Deus* = & quod = *scripsi scripsi* = ac etiam illud aliud = *quæ processerunt de labijs meis non faciam irrita* = quemadmodum in specie animaduertunt *Roland. cons. 13. num. 55. cum quatuor seqq. lib. 3. Prob. nd ad Monach. in cap. frustrà num. 5. de regul. iur. in 6. Paris. de resign. lib. 3. quæst. 18. nu. 89. & seqq. Gonzal. ad regul. 8. Camel. gloss. 9. §. 2. num. 31. & 32.*

Examinando itaque primum requisitum, quod voluit Summus Pontifex ibi = *præstantioribus prærogatiuis virtutum* = hoc requisitum dicimus esse illud quo Aduersarius omnino destitutus reperitur: Vix enim mediocriter in grammatica instructus scientia nulla præpollet, qua mediante qualificatus dici possit *præstantiori prærogatiua virtutum*, quidquid enim sit in beneficijs simplicibus certi iuris est quod Sacri Canones in Canonicatibus assequendis requirunt idoneitatem adeò scientificam, vt Canonici prouidendi esse possint Coadiutores, & Cooperatores Episcopi iuxta *Text. litteralem in cap. inter cætera de offic. ordinar. Frances. de Eccles. Cathed. cap. 22. num. 106.*, vbi reddit rationem quod in beneficijs inferioribus prouidetur personæ, in Canonicatibus autem prouidetur personæ, in Canonicatibus autem prouidetur Ecclesiæ, & concordant *Pax Iord. tom. 2. lucubr. lib. 10. tit. 22. num. 17. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 50. n. 53. & seqq. Menoch. de arbitr. centur. 5. cas. 425 num. 45. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 69. & 70. Murg. de benefic. quæst. 3. num. 808. Capon. discept. 226. num. 25. tom. 3. Rota decis. 539. num. 9. par. 4. tom. 3.*

Hæc autem generalitas, quæ militat de iure in omnibus Canonicatibus, & qua etiam inspecta Aduersarius idoneitate caret, non est illa, cum qua procedere debemus in casu isto, sed idoneitas, scientia, & virtus esse debet iuxta statuta, & qualitatem nostræ insignis Ecclesiæ Hispalensis, quod nempè assumendus ad Canonicatum sit Doctor, sit Magister scientiarum, aut in iure Canonico aut ciuili, aut in Theologia, alijsque famosis facultatibus *Summar. princip. num. 1.*, & quidem iste Doctoratus, & hoc Magisterium non

non intellexerunt Statuta de apparenti, & nomine tenùs, sed de substantiali, & practico cum excellentia virtutis propter rationem finalem Statuti ibi = *per ipsos enim decorabitur Ecclesia, & multipliciter in spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementum,* = & ita etiam intellexit Summus Pontifex in illis verbis = *præstantioribus prærogatiuis virtutum,* = itaut secundum mentem, & substantiam tam Summi Pontificis, quam Statuti, requiratur effectiua doctrina, quodque quis reuera sit Doctor, non autem simpliciter Doctoratus, vt ait *Reuerendissimus Ansaldus in præfat. ad decis.num.*50. ibi = *ex simplici namque Doctoratu, non bene infertur ad effectiuam doctrinam,* = & tradunt *Luc.de Penn.in l.vnic. sub num.*9.*vers.Nec omnis Doctor Cod.de Athlet.lib.*20.*Adden.ad Bartol.in leg.Grammaticos in primis verbis Cod. de professor. lib.*10. *cum alijs apud Lotter.de re benef.lib.*1.*in appar.num.*128.*& seqq.Gratian. discept.*186.*num.*29.*& seqq.ibique Carol.Anton.de Luc.num.*6.

Iste defectus scientiæ, & præstantioris doctrinæ per Summum Pontificem volitæ pro requisito personarum prouidendarum tanto magis obstatiuus dicitur prouisioni ex integro quando est qualitas requisita ex lege Statuti fundamentalis ex iusta causa vtilitatis Ecclesiæ, vt per huiusmodi doctas personas *decoretur, & multiplicetur in spiritualibus, & temporalibus suscipiat incrementum*: Si enim Papa nunquam intelligit derogare Statutis fundamentalibus Ecclesiæ circa qualitates prouidendorum, & in præsenti casu non solum non derogauit, sed cum illis se conformare voluit circa hanc qualitatem, indè sequitur, vt defectus huiusmodi qualitatis æqualiter obstet prouisioni tam factæ, quam faciendæ, quia nunquam beneficium dari potest non qualificato tamquam ex defectu necessariæ qualitatis inhibili, & incapaci *Panormitan.in cap. cum iniunctis §.Inferiora num.*10.*de elect.Garz.de benef.par.*7.*cap.*5. *num.*6.*Rot.coram Duran.decis.*8.*num.*3.*& in recent.decis.*197.*nu.*10. *par.*11.*& decis.*388.*nu.*1.*par.*16.*& in Foroliuien. loci consilij* 5. *Maij* 1705. §. *Nec obstat, coram Magno Hispaniarum Inquisitore, &* 7. *Maij* 1706.§.*Ioseph, coram Eminentissimo Priolo, & in Meleuitana Prioratuum* 15.*Iunij* 1705.§.*Ratio, cor.bo.me.Card.Caprara.*

Quod fundamentum ingrauescit spectata qualitate Ecclesiæ, vt in promouendis esse inspiciendum monet *Fagnan. in cap. Cum in cunctis num.*139.*de elect.* ibi = *Præcipue considerare debet qualitatem Ecclesiæ, ad quam quis assumitur* = *cap.in causis §.Finali,& cap.Scriptum §.Penultimo eod.titul.vbi Compostellan.num.*1., *Ioan.Andr.num.*12., *Butr. num.*11., *Abb. num.*4. Inspecta autem qualitate nostræ Ecclesiæ hactenus prædicata, scientia, & prærogatiua virtutis requisitæ ex Statutis, & Oraculo Summi Pontificis conuincitur omnimodè necessaria propter tot munia exercenda, quibus impares sunt humeri D. Aduersarij nulla scientia Doctoris, seu Magistri præcellentis, sed tantum imbuti Grammatica, & breui studio pau-

carum summularum: Tenetur enim Capitulum singulis annis iuxta formam Concilij Tridentini, duos Canonicos adiunctos deputare, qui vna simul cum Archiepiscopo procedere debent in causis criminalibus Canonicorum nostræ Ecclesiæ, qui sunt exempti ab auctoritate Ordinaria; Habet Capitulum curam, & directionem Monialium; Habet curam Hospitalium, administrationes piorum legatorum, curam, & intendentiam super ingentibus redditibus Fabricæ, simultaneam collationem Beneficiorum cum Archiepiscopo, & demum alia infinita, quæ notabilem doctrinam, ingentem prudentiam, & in rebus administrandis sedulam experientiam exposcit.

Prosequitur Oraculum Summi Pontificis in altero requisito Nobilitatis Natalium in verbis supra relatis *præstantioribus prærogatiuis virtutum*, *NEC NON ORIGINIS PRÆCETERIS COMMVNITOS ESSE EXISTIMAVIMVS*, = quod requisitum Nobilitatis Natalium deficit in Aduersario ex propria ipsius confessione emissa in supplicatione secundi perinde valere *Summario Additionali num.4.* neque hic iuuat repetere, quod qualitas Nobilitatis non exigatur per statuta, neque de Iure: Sufficit enim, quod fuerit requisita per Summum Pontificem ad indulgendum precibus Capituli iusta ratione vtilitatis Ecclesiæ tunc viduatę magno numero Canonicorum præstantium virtute, & meritis, & secundum consuetudinem Hispaniæ, in qua Nobilitas generis specialiter attenditur in Canonicis, & Capitulis Illustrium, & maiorum Cathedralium Hispaniæ, vt prædicatur de nostro insigni Capitulo Metropolitanæ Hispalen., ac etiam quia de Iure in prouisionibus Beneficiorum semper Nobiles præferri debent data paritate in cæteris, quia per illos magis decoratur, & vtilizatur Ecclesia iuxtà *gloss. in cap. Constitutis in verbo .mpotentia de appell.*, *Lambertin. de iurepatron. lib.2. part.3. quæst.5 art.9. num.primo* ibi = *esse præferendum Nobilem &c. quia per talem melius consulitur Ecclesiæ* = *Viuian. de Iurepatron. lib.12. cap.9. num.18.*, *Ventrigl. iu prax. par.2. annot.1. z.3. num.52.*

Vndè si Summus Pontifex requisiuit in prouidendis qualitatem Nobilitatis, & ità promisit ad preces Capituli, & quidem eiusdem Capituli = *peculiari quodam intuitu, vt singulare paternæ nostræ Charitatis argumentum hac occasione vobis tribueremus* = discedi non potest ab hac mente, & Oraculo Summi Pontificis, quæ est illo lex, quàm ipse sibi voluntariè præfixit in singularem gratiam Capituli, quæ retractanda non est per Iudicem, dum ea mediante quæsitum fuit ius Capitulo, cuius intuitu promissio hæc facta fuit, & cui Papa specialem gratiam facere intellexit *Felin. in cap. eam te num.13. versic. aliud de rescript.*, *Bartol. in leg. nostra num. 21. ff. ad Trebell.*, *Angel. de legit. contradic. quæst. 14. art. 5. num. 47.*, *& 51.*, *Rot. coram Garill. decis. 102. num.9.*, neque hic adest aliqua

spe-

specialitas, aut noua causa superuenta, quæ possit inducere variationem Summi Pontificis, quando tamen quæsito semel Iure nostro Capitulo per Sanctissimum Oraculum Summi Pontificis, hoc Ius quæsitum auferri non potest, nisi ex motiuo alicuius causæ publicæ, propter quam discedere oporteat à semel placitis, & priuilegijs Tertio concessis ad *Text. in leg. quod semel ff. de decret. ab Ordin. facien., Berous consil. 49. ex nu. primo, Capyc. Latr. consult. 66. num. 24., Amostaz. de caus. pijs lib. primo cap. 14. num. 10., & seq., Valenzuel. consil. 69. num. 176., Couarr. variar. resol. cap. 6. ex num. 5., Andreol. controu. 413. num. 23., Rot. decis. 386. num. 7., & decis. 479. num. 4. par. 8. recent., & in Romana, seù Iannen. Legati 5. Maij 1698. §. At longe in fine, & §. Neque id in principio coram Eminentissimo Tremoille.*

Omisso requisito prudentiæ, quæ an concurrat in Aduersario Sapientissimi Patres dignoscere poterunt, *ex deductis in facto*, descendimus ad secundum obstaculum consistens in incapacitate Aduersarij; Etenim ipse non solum petit nouam prouisionem controuersi Canonicatus ex integro quem in primis litteris subreptitiè obtinuit, sed insuper expostulat aliam prouisionem ex integro quoad tres Cappellanias perpetuas hactenus possessas, & retentas contra expressa Decreta Sacri Concilij Tridentini, in quo genere supplicationis continetur cumulus exorbitantium dispensationum, nam primo indiget dispensatione super retentione Canonicatus quarti Beneficij post tres Cappellanias, secunda, vt possit retinere duas Cappellanias sub eodem tecto, & tertia indiget dispensatione pro tertia Cappellania auctoritate Ordinaria nulliter collata contra decreta Concilij, iuncta condonatione omnium fructuum indebitè perceptorum, qui sanè cumulus dispensationum, & nouarum prouisionum concedi non solet, nisi vrgente graui, & legitima causa, scilicet vbi agitur de Personis, quæ sint apices scientiæ, seù litteraturæ insignes, vel saltem nobilitate sublimes, & conspicuæ iuxtà *Text. in cap. de multa §. final. de præbend., & consonat decretum Sacri Concilij Tridentini cap. 17. de reform. sess. 24.* ibiquè *Barbos. num. 54., Fagnan. in dicto cap. de multa num. 30., Rebuff. de Benefic. tit. de dispens. ad plura benefic. num. 42. 43., & seqq., Gambar. de offic. Legat. lib. 5. num. 137., Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 26., Reginald. lib. 30. tract. 3. num. 289. versic. sextum dubium, Vasquez in opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. dub. 9. num. 170., Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 6. num. 11.* vbi quod conclusio procedit etiamsi allegaretur fructuum tenuitas.

Cum igitur omnis dispensatio sit odiosa, eoque magis quando non agitur de vna, sed de pluribus, & in materia exorbitanti, & contra Canones accumulandi plura Beneficia in vno capite contra Institutum rectæ distributionis Beneficiorum, vt ex *Diuo Bernardo epist. 271. ad Theobaldum Campaniæ Comitem, & lib. 3. de considerat. ad Eugenium Diuus Thomas quodlibet 9. art. 5., Layman. in Theolog.*

moral.

moral. tract. 10. *cap.* 8. *de Benefic.* percipere non possumus, quo fundamento tot exorbitantes gratias arrogare sibi valeat Aduersarius, neque virtute insignis, neque natalibus Illustris, sed viceuersa in vtroque abiectus, & habens qualitates contrarias prærogatiuis virtutum, & originis, quibus addendum est vitium subreptionis commissæ in extorquendo Canonicatum sub falsa assertiua Nobilitatis, sub falsa expressione scientiæ in Philosophia, & Theologia morali, & sub occultatione, quod erat iuxtà suam conditionem abundanter prouisus de tribus Cappellanijs perpetuis, & qui vsque tunc deliquerat retinendo sine dispensatione Apostolica duas Cappellanias sub eodem tecto, & tertiam auctoritate ordinaria contra litteralem Censuram Sacri Concilij, si enim absque causa, vt supra, non consueuit S. Sedes vulnerare Canones, & Concilia per huiusmodi dispensationes quomodo erit exhauriendum thesaurum indulgentiæ, & misericordiæ erga subreptorem Canonicatus, qui tot falsis assertionibus circumuenit Summi Pontificis Religionem tempore, quo erat etiam indignus ex alio capite indebitæ retentionis trium Beneficiorum, vt supra illegitimè obtentorum: Huiusmodi enim Delinquentes, & subreptores gratiarum sunt arcendi, non autem nouis gratijs implendi, & contentandi ad *Text. in Can. Ex iniusta misericordia* 23. *quæst.* 4., *& in cap. primo versic. nos igitur de postulat. Prælat. Bellamer.*, *& Innocent. in citato cap. de mulcta* ibiquè *Barbos. num. primo de præben.*, *& Dignit. Alagona in compend. Iur. Canon. pag.* 372., *& in repetition. iur. Canon. tom.* 3. *ad lib.* 3. *decretal. num.* 87., *Antonius Augustin. collectan.* 4. *Decret. lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 4., *Azzor. instit. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *quæst.* 2., *Hoied. de incompatib. benef. cap. fin. num.* 6. *& seqq.*

Ex hoc fonte deriuat, quod qui adspirat ad Beneficium, sed indiget dispensatione, dicitur incapax, & postponendus venit omnibus, non autem præferendus, vt apud *Viuian. de Iurepatr. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 29., *Rot. coram Seraphin. decis.* 267. *num.* 2., *& in Rhegien. Iurispatronatus* 16. *Ianuarij* 1708. §. *Comperto coram Magno Hispaniarum Inquisitore*, *& in Volaterrana Beneficij* 7. *Iunij* 1709. §. *Ast quando coram Reuerendissimo Ansaldo Decano*, sed magis præcisè hoc militat in dispensatione super Beneficijs retentis, si enim in assecutione noui Beneficij ratio, ob quam facienda est expressio obtentorum illa est, vt Papa dijudicare possit Supplicantem satis prouisum de primis Beneficijs abstinendo cumulare illum nouis, quæ de Iure debeatur alijs nondum Beneficiatis, siuè quia illum cognoscat iuxtà suam conditionem, & aptitudinem melius retinendum esse in priori vocatione, in qua primo vocatus est, quemadmodum egregiè decisum fuit in *dicta Valentina Vicariæ* 7. *Iunij* 1694. §. *Ratio*, *&* 10. *Ianuarij* 1695. §. *Idipsum coram bon. me. Vrsino impressa apud Antonell. de iurib.*, *& onerib. Cleric. decis.* 9. *num.* 5., *&*

decis.

decis.11.num.primo in fine, & ad ornatum Cardin. de Luc. de Benefic. decis.17., & 18.

Indè sequitur, quod hoc ipsum, quod Aduersarius habet tres Cappellanias, easque malè hactenùs retentas sibi ex integro conferri postulat dispensatiuè, esse debet causa denegandi simultaneè expostulatam prouisionem Canonicatus, dum Papa, eiusque loco hæc Congregatio considerare potest, quod Aduersarius iuxta suam spheram, & qualitates contentus esse debet tribus Cappellanijs, pro quibus collationem petit ex integro cum conditione fructuum, & non modicam gratiam ex hoc reportabit absq; eo quod exaudiri possit ad se cumulandum nouo beneficio qualificato, vt est Canonicatus insignis Metropolitanæ, cui suæ qualitates sunt impares, & cui resistit mens Summi Pontificis statutum Ecclesiæ resistit pendentia litis, & demum resistit distributiuæ epicheiæ ratio, & Sacrorum Canonum dispositio prohibens, cumulum beneficiorum in vno, & oculos habens ad alios non Beneficiatos, *vt in dicta Valentina Vicariæ decis.9.num.5., & decis.11. num. 1. in fine post Antonell. de iurib., & oner. Cleric., & decis.483. num.7. coram Seraphin.*

Tertium denique obstaculum consistit in præiudicio Capituli, nec non Iure ei quesito per litem, eiusque dissensu rationabili; Per litem namque Ius quesitum fuit Capitulo, vt sibi seruetur oraculum, & gratia Summi Pontificis circa prouisionem faciendam in Personis *præstantioribus prærogatiuis virtutum, necnon originis communitis* = & ius quesitum fuit, vt Aduersarius his qualitatibus destitutus gratiam extorserit subreptitiè, hoc autem ius quesitum operatur, vt nequeat concedi noua gratia in præiudicium Colligantis, ità reddendo inanem expromissionem Summi Pontificis, seù eius Oraculum fauore Capituli concessum, & reddendo elusorium cursum, & dispendium litis ad *Text. in cap. quamuis de rescript.in 6., Nouar. in Summ. Bullar. par. 1. comment. 31. num. 31., Paris. de resignat. lib.11. quæst.7. num. 79., & seqq., Cochier. ad regul.Cancell. 34. num.28., & 29., Rot. decis.252. num.15. par. 8., & in Aurien. Cantoriæ 14. Iunij 1697. §. Nec in contrarium coràm Reuerendissimo dell'Olmo.*

Est etiam ius quæsitum Capitulo ratione eius dissensus rationabilis licet enim Summus Pontifex in prouidendo non dependat ab aliquo in faciendis tamen gratijs contra ius, quales sunt dispensationes saltem ratione iustæ causæ retrahitur ob dissensum Contradictoris, & maximè in casu isto, vbi agitur de vniuerso Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, cum enim Canonici inter se dicantur Consocij, & fratres *Cap.cum M.Ferrariensis de Constitut.*, quod debeat poni in Ecclesia aliquis dissentiente, inuito, & adhorrente toto Capitulo incongruum videtur, & Sacris Canonibus non consentaneum ratione inconuenientium, quæ exindè regulariter pro-

uenire solent, super quo habemus *Text. in cap. nisi cum pridem de renunc.* vbi disponitur, quod si Episcopus sit inuisus Populo per simplicem auersionem, immò etiam iniustè, attamen cogitur ratione scandali euitandi ad cedendum, & quando nullam habeat culpam transfertur inuitus ad alium Episcopatum, vt sonat littera *Textus* apertissima ibique exponunt omnes Canonistæ signanter *Innocent. num. 4., Ioann. Andr. num. 19., Ioann. de Anan. num. 9., Hostien. num. 19., Fagnan. num. 73., Gonzal. num. 3., Roman. consil. 523. num. 16. vers. secundo probatur idem Fagnan. in cap. post translationem num. 3. de renunc., Hippolit. de Marsil. singular. 683. num. 1. Viuian. de Iurepatr. lib. 3. cap. 9. num. 21.*, & in terminis beneficij assequendi tradunt omnes Canonistæ *in cap. de elect. vbi Panormitan. num. 8., Innocent., & alij.*

Hoc ipsum habemus in Parochialibus, vbi si Plebani electi Persona est inuisa Populo, non debet illi concedi institutio, quia non debet dari inuitis Populis ad *Text. in cap. 3. vbi gloss. in verbo sine scandalo de Iurepatr., Innocent. in cap. super his num. 7. de accusat., Paulus de Cittadin. de iurepatr. par. 6. art. 3. num. 29., Lambertin. eodem tract. lib. 2. par. 2. quæst. 9. art. 11., & lib. 2. par. 3. quæst. 4. art. 8. num. 1.*

Hæc autem iura à fortiori locum habent respectu Capituli, in cuius consortio nemo admitti debet dissentiente, & inuito vniuerso Collegio, quia mutua, & fraterna charitas in consortio esse debet, & maiorem connexionem habet Canonicus cum Capitulo, quam Populus cum Episcopo, aut Parocho, & tota hæc dispositio Textualis procedit in sola ratione scandali euitandi, quod scandalum in præsenti concurrit veluti probatum ex ore Eminentissimi Archiepiscopi cum Decreto Vicarij generalis, qui propter hoc decreuit supersedendum esse in executione litterarum, *vt in Summ. principal. num. 17.*, nam propter scandalum si quis repellitur à Iure acquisito, multo magis ab acquirendo per viam gratiæ, & quidem gratiæ multipliciter dispensatiuæ, & exorbitantis, vt est *Text. apertus in cap. cum teneamur de præbend.* ibi = *si non potest ei sine scandalo prouideri æquanimiter sustinemus si pro eo mandatum nostrum non duxerit exequendum* = *vbi gloss. in verbo si non potest*, sic ait = *& sic propter scandalum quandoque receditur à Iure*, *& in cap. Quoniam in verbo sine scandalo de Iurepatr., & in cap. ad aures in verbo scandalo de tempor. ordin.*, & alter *Text. in cap. cum ex iniuncto de nou. oper. nunc., Lambertin. de Iurepatr. lib. 2. par. 2. quæst. 9. art. 11. num. 2.*

An verò dissensus Capituli sit rationabilis dignosci potest ex omnibus supra deductis obiectiuè ad personam, & qualitatis Aduersarij, & maximè ab Summi Pontificis singularem fauorem eidem Capitulo concessum, vt prouisio caderet in Personas dignissimas *præstantioribus prærogatiuis Virtutum, necnon originis* = & insuper

ratio-

rationabilis magis est dissensus in casu isto, vbi non agitur de Canonicatu acquisito tollendo, sed de nouiter assequendo, & multo magis assequendo cum tot exorbitanti genere dispensationum, & gratiarum, quæ in vna prouisione concurrunt respectiuè ad personam, quæ habet fratrem de latrocinijs processatum, & damnatum paulo antè subscriptum hunc Canonicatum, licet enim, vt diximus infamia vnius fratris de Iure non transfundat infamiam in alterum bonis moribus imbutum semper tamen ex opinione Vulgi, & hominum grauata remanet fama familiæ, & quodadmodo alterius fratris contemptus generatur, & id coniunctum cum obiecta conditione sanguinis est sufficientissima causa declinandi Consortium huiusmodi Personæ, nec eam sociandi in adeo insigni Capituli adeo Illustris, & conspicuæ Ecclesiæ, cum ad istum effectum quæuis diffamatio det motiuum derogandi gratias, & fauores *Cap.2., & cap.accedens de purgat.Canon., Paris. de confiden.quæstion.34. num.14., & 15., Adden.ad Gregor.decis.228. num. 13., Rot. coràm Comitul. decis. 119. num. 3., & coràm Seraphin. decis. 516. num. 4., & coràm Bich. decis. 669. num.18., & in recent. decis.501. num.2. par.19.*

Et maximè in gratiosis, & exorbitantibus, quæ non debentur ex Iustitia, sed totum pendet ex arbitrio Superioris, eiusque mera gratia, ad quam impediendam sufficit quæcumque leuis causa, & contradictio Oppositoris ad *Text. in Can. Præcariæ 10. quæst. 2. in fine*, & apud me infrascriptum *in Parergon. ad discept. Eccles.nu.29. Sanchez de matrim.lib.3. disput. 10. num. 3., & seqq., Suarez de legib. lib.6. cap.18. num.20., Barbos. in cap. Postulastis 7. de Cler. excommunic. num. 28.*, & latissimè probat *Passerin. de elect. cap. 24. num.48., & 49.*

Quarè &c.

C.A.Guidobonus Caualchinus)
FranciscusM.Pitonius)
Ioannes Asceuolinus) Aduoc.
Antonius Colloretus)
Io:Baptista Santini)

CONGREGATIONE

PARTICVLARI

A' SANCTISSIMO

DEPVTATA

Siuè

RR. PP. DD.

MAREFVSCHO, ANSIDÆO, LANCETTA, ERRERA, ET SARDINIO

Ispalen. Canonicatus

Super Articulo Concessionis Gratiæ ex integro, prætensæ à D. Ascentio Polo.

P R O

Illmo DD. Decano, & Capitulo Eccl. Metropolitanæ, & Patriarcalis Hyspalensis

C O N T R A

R. D. Ascentium Ximenez Polo.

Restrictus Iurium.

Typis De Comitibus 1717